

## Werk

**Titel:** Coniectanea

**Autor:** Haupt, M.

**Ort:** Berlin

**Jahr:** 1874

**PURL:** [https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?509862098\\_0008|log49](https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?509862098_0008|log49)

## Kontakt/Contact

[Digizeitschriften e.V.](#)  
SUB Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen

✉ [info@digizeitschriften.de](mailto:info@digizeitschriften.de)

## CONIECTANEA.

CLXIII. Carmen Priapeum 50

*Quaedam, si placet hoc tibi, Priape,  
ficosissima me puella ludit  
et nec dat mihi nec negat daturam.*

reliqua, quae a Nicolao Heinsio verissime emendata sunt, non adscribo. sed ineptum est *ficosissima*, neque satis aptum *fucosissima*, quod Guyetus coniecit Burmannusque in libro quodam legi dicit. scribendum est *tricosissima*.

CLXIV. In Corippi Iohannidos libro 1 versu 437 legitur *acuunt stridoribus hostes*. sed *hostes* non potest intellegi neque dubito Corippum retinuisse Vergilianum *iras*: nam sumpsit haec ex Aeneidos XII 590.

Libro II v. 106 ss. haec scripta sunt,

*nam fortis Ilasguas  
quondam per latos prostratus vulnere campos  
iuncta saeva dedit praedis bellisque pepercit.*

scribendum est (*lancea saeva dedit*).

Libro III v. 240 scriptum est

*fugientes credidit hostis  
et summo de monte fugit.*

Corippus non *fugit* posuerat, sed *ruit*.

Eiusdem libri v. 318 s. legitur

*te cellas Vatari miro spectabat amore,  
te Autenti saevos mactantem viderat hostes.*

sine veri similitudine Mazzucchellius *cellas* in *cultor* mutandum esse coniecit. probabilius scribemus *tellus*.

Libro iv v. 254 s. haec leguntur,

*cunctantem surgere lucem*

*iam cupiunt tardumque iubar noctemque requirunt.*

ineptit Mazzucchellius. mutandum est *requirunt* in *queruntur*.

Libro v v. 665 non servandum erat *latet atrox pulvere campus*, sed scribendum *atro*.

CLXV. Corippus in praefatione librorum de laudibus Iustini v. 44 ss.

*ad medicum veni precibus pia pectora pulsans,*

*ad medicum verbo pestem qui summovet uno*

*et sine composito medicamine vulnera curat.*

*huic ego sananti, si qua est fiducia servis,*

*grates semper ago et pro munere carmina porto.*

nimum est *servis*, immo absurdum. scripsit Corippus *si qua est fiducia* verbis.

De laudibus Iustini 1 89 *fit iussis mora nulla dei*. deo hic non esse locum Vonckius intellexit, sed emendatio ei non successit. scribendum est *fit iussis mora nulla dein*.

Libro ii v. 256 s. haec leguntur,

*tutetur fiscus iustorum nemine laeso,*

*quae sua sunt capiat, quae sunt privata relinquat.*

scripsit Corippus *ditetur*.

Eodem libro v. 358 ss. haec scripta sunt,

*natus fragor, itque tumultus*

*per laetos ingens, fremit undique murmur*

*ingeminantque cavos dulci modulamine plausus.*

carmen ita compleo,

*per laetos ingens <cuneos>, fremit undique murmur.*

CLXVI. Apuleius Met. 1 15 *ad haec ille marcidus et semisopitus in alterum latus evolutus 'unde autem' inquit 'scio an convectorum illo tuo cum quo sero deverteras iugulato fugae mandes praesidium? illud horae memini me terra dehiscente ima Tartara inque his canem Cerberum prorsus esurientem me prospexisse'*. recte intellexit Salmasius scribendum esse *revolutus*. mox scribe *fugae <te> mandes praesidio? illud horae* etc.

Capite eiusdem libri 18 scribendum est *ad haec ille subridens 'at tu' inquit 'non sanguine sed lotio perfusus es. verum tamen et ipse per somnium iugulari visus sum mihi. nam et iugulum istum dolui et cor ipsum mihi avelli putavi et nunc etiam spiritu deficior*

*et genua quatiore et gradu titubo et aliquid cibatus refovendo spiritu desidero'. in mihi mutavi nichil.*

Capite 23 scribendum videtur *ergo brevitatem gurgustioli nostri ne spernas peto. erit tibi adiacens en ecce illud cubiculum honestum receptaculum.* neque enim dici hic potuisse arbitror quod liber Florentinus habet *et ecce.*

Libro II cap. 5 scripsisse videtur Apuleius *haec tibi trepida et cavenda censeo.* liber Florentinus *trepido excavenda.*

Capite 19 haec tradita sunt, *quam commode versaris in nostra patria? quod sciam templis et lavacris et ceteris operibus longe cunctas civitates antecellimus: utensilium praeterea pollemus affatim: certe libertas otiosa et negotioso quidem advenae Romana frequentia, modesto vero hospiti quies villatica: omni denique provinciae voluptarii secessus sumus.* non intellego quid hic esse possit *libertas otiosa.* neque vero probandum est Beroaldi *otioso*, quo non efficitur apta et concinna sententia. scripsit fortasse Apuleius *libertas copiosa.* respondet Lucius *vera memoras, nec usquam gentium magis me liberum quam hic fuisse credidi.*

Libro III cap. 4 scripserim *sed si paulis per audientiam publica mihi tribuerit humanitas, facile vos edocebo me discrimen capitis non meo merito, sed rationabilis indignationis eventu fortuito tantam criminis invidiam frustra sustinere.* liber Florentinus *publicam.* capite 7 dicitur *per publicam misericordiam,* capite 8 *per publicam misericordiam, per commune ius humanitatis.*

Libro IV cap. 21 scribo — *nisi tandem pigre ac timide quidam lanius paulo fidentior utero bestiae resecto ursa magnificentum despoliavit latronem.* liber Florentinus *ursae.*

Capite 23 scriptum est *nec mora, cum latrones ultra anxii atque solliciti remeant.* post *ultra* verbum videtur excidisse quale est *modum.* mox haec secuntur non magis integra, *eam simul intra speluncam verbisque quae dolebat minora facientes sic adlocuntur.* periiit, nisi fallor, post *speluncam* vel *ducunt* vel simile verbum.

Capite 30 Venus ita loquitur, *nimirum communi numinis pia-mento vicariae venerationis incertum sustinebo et imaginem meam circumferet puella moritura.* vicaria veneratio ea est qua Psyche vice Veneris colitur. in qua veneratione cum nihil sit incerti, scribendum esse arbitror *incestum.* nam incestatur Venus vicaria illa veneratione.

Libro V cap. 9 orationem non integram ita complendam esse

suspicio, *hocine tibi complacuit ut <uno> utroque parente prognatae diversam sortem sustineamus?* nam dicitur non numquam unus qui est idem.

Capite 10 leguntur partim quae sententia carent, partim quae orationem dissolvunt. quae sic emendanda esse censeo, *ego vero maritum articulari etiam morbo complicatum curvatumque ac per hoc rarissima Venere eam recolentem sustineo. plerumque detortos et duratos in lapidem digitos eius perfricans, fomentis olidis et pannis sordidis et faetidibus cataplasmatibus manus delicatas istas adurens, nec uxoris officiosam faciem, sed medicae est laboriosam personam sustinens. liber Florentinus rarissimo uenerem meam et medicam et.*

Libro vi cap. 28 ita scribendum esse conicio, *iam primum iubam istam tuam probe pectinatam meis virginalibus monilibus adornabo, frontem vero crispatam prius decoriter discriminabo caudaeque saetas incuria lavacri congestas et horridas compta <comam> diligentia bullisque te multis aureis inoculatum veluti stellis sidereis relucentem et gaudiis popularium pomparum ovantem sinu serico progestans nucleos edulio mitiore te meum sospitatorem saturabo. liber Florentinus compta diligentia monilibus bullisque. scribendum esse compta comam cum diligentia coniecit Kulenkampius, praepositione inutiliter adiecta. non novi qui dixerit comptam diligentiam vel simile quidpiam: Apuleium id non dedecet, praesertim in illa dicendi figura. deinde monilibus delendum est utpote ex eis quae antea scripta sunt male repetitum: neque nisi tollitur cohaeret oratio. denique liber Florentinus habet *edulia mitiora.**

Libro vii cap. 14 scribendum est *convocatis denique gravioribus amicis consilium datur quo potissimum pacto digne remunerares. liber Florentinus facto.*

Capite 25 scribendum esse videtur *'atque utinam ipse asinus' inquit 'quem numquam profecto vidisse <vellem>, vocem quiret humanam dare meaeque testimonium innocentiae perhibere posset: profecto vos huius iniuriae pigeret. traditum est vidissem.*

Libro xi cap. 9 scripsisse Apuleium conicio *magnus praeterea sexus utriusque numerus lucernis taedis cereis et alio genere facticii luminis siderum caelestium stirpem propitiantes. scriptum est in libro Florentino facti lumine, in margine autem additum facti luminis: quo non perfecta mihi videtur esse emendatio.*

CLXVII. Capitolinus in Antonino Pio cap. 13 *fuit statura elevata decorus. sed cum esset longus et senex incurvareturque,*

*tiliaciis tabulis in pectore positis fasciatur ut rectus incederet.* in libro Bambergensi scriptum est *incuruaturque.* unde fuit qui facere vellet *incurvatusque,* quod ineptum est. scribendum potius *sed cum esset longus et senex incurvaretur, tiliaciis* etc. eandem orationis formam habent quae secuntur, *senex etiam antequam salutatores venirent panem siccum comedit ad sustentandas vires.*

Pergit Capitolinus ita, *fuit voce rauca et sonora cum iucunditate.* non potest eadem vox et rauca esse et sonora, nedum cum iucunditate sonora. quare *rauca* mutaverim in *acuta.*

CLXVIII. Quae Hermae t. v p. 314 de eis scripsi quae in Mamertini Genethliaco Maximiani cap. 7 leguntur non videntur esse corrigenda, sed habeo quod addam. scriptum est *ut iam illud fulso dictum sit, non delectari societate rerum nisi pares annos:* sed non videtur dubitari posse quin *annis* Mamertino reddendum sit. quo satis adcurate expressit tritum illud ἤλιξ ἥλικα τέρπει. et secuntur haec, *intellegimus enim, sacratissimi principes, geminum vobis, quamquam dispaes sitis aetatibus, inesse consensum.*

Capite 16 Mamertinus haec dicit, *illud vero, non suggeratur licet, quoquo modo dicam antequam desinam, tantam esse imperii vestri felicitatem ut undique se barbarae nationes vicissim lacerent et excidant, alternis dimicationibus et insidiis clades suas duplicent et instaurent, Sarmaticas vestras et Raeticas et Transrhenanas expeditiones furore percitae in se imitentur.* quae deinde fusius enarrat. tum haec secuntur cap. 17, *iam de perduellibus ultionem non armis, non exercitu capitis sicut hucusque fecistis, iam, inquam, fortunatissimi imperatores, felicitatem vincitis soli. et quid unquam Romani principes de felicitate sua praedicari laetius audierunt quam cum diceretur hostes quiescere, otiosos esse, pacem colere? at enim quanto hoc est laetabilius ac melius quod de prosperitate saeculi vestri certatim omnium hominum ore circumfertur, 'barbari ad arma concurrunt, sed invicem dimicaturi; vicere barbari, sed consanguineos suos'. non intellego qua sententia dici potuerit felicitatem vincitis soli. poterant dici imperatores priorum imperatorum aut saeculorum felicitatem vincere: sed nihil de superioribus temporibus additum est et ne ista quidem sententia ea quae antea dicuntur recte consummaret. praeterea autem soli non satis aptum est. scripsit fortasse Mamertinus, arguta sententia, quales hi oratores captant, iam, inquam, fortunatissimi imperatores, felicitate vincitis sola. ecquid unquam etc.*

CLXIX. In Panegyrico Constantio Caesari dicto, quem Livineius aliique Eumenio tribuerunt, haec leguntur capite 16, *omnes enim illos, ut audio, campos atque colles non nisi taeterrimorum hostium corpora fusa texerunt. illa barbara aut imitatione barbariae olim culta vestis et proluxo crine rutilantia, tunc vero pulvere et cruore foedata et in diversos situs tracta, sicuti dolorem vulnerum fuerunt secuta, iacuerunt.* quae in his non possunt intellegi plana et perspicua fiunt si ita scribuntur, *illa barbara aut imitatione barbariae olim culta veste et proluxo crine rutilantia.* Plinius Nat. hist. XVI § 251 *sacerdos candida veste cultus.* Suetonius in Nerone cap. 32 *matronam in spectaculis vetita purpura cultam.*

Eiusdem Panegyrici hic est finis, *dixi, Caesar invicte, prope plura quam potui, sed pauciora quam debui, ut iustissima mihi causa sit, propitio numine tuo, et nunc desinendi et saepe dicendi.* locuntur Gallici illi oratores non numquam perplexius, sed *prope plura quam potui* nimis absurdum est. quocirca existimo *potui* in *debui* et mox *debui* in *potui* mutandum esse. legimus cap. 4 *habenda est ratio temporis Caesare stante dum loquimur.*

CLXX. In Panegyrico Constantino dicto, quem Eumenio tribuerunt, haec dicuntur capite 2, *a primo igitur incipiam originis tuae numine, quod plerique adhuc fortasse nesciunt, sed qui te amant plurimum scient. ab illo enim divo Claudio manat in te avita cognatio qui Romani imperii solutam et perditam disciplinam primus reformavit immanesque Gothorum copias Ponti faucibus et Istri ore proruptos terra marique delevit, utinam diuturnior recreator hominum quam maturior deorum comes.* non capio numine et scribendum puto *limine.*

CLXXI. Eumenius in Gratiarum actione cap. 10 *diu fruges hiems cohibet, ver elicit flores, aestas solidat, calor ematurat.* scribendum duco *ver elicit, rore aestas solidat, calore maturat.* et *calore maturat* iam Acidalius voluit, neque usquam ematurandi verbum legitur.

CLXXII. Nazarius in Panegyrico cap. 26 *o nox illa aeternis saeculis monumentisque mandanda.* saecula et monumenta non congruenter sociata sunt. scripsisse videtur Nazarius *o nox illa aeternis titulis monumentisque mandanda.*

CLXXIII. Mamertinus in Gratiarum actione cap. 19 postquam exposuit quam damnosa olim fuerint populi suffragia haec addit, *unde factum est ut maiores nostri viderent Vatinius designatos et*

*repulsos Catones. sed haec vetusta: decet recordari quemadmodum paullo ante honor petitus sit. ita haec scribenda sunt. et Vatinius quidem requiri repudiandumque esse quod libri habent Gabinius Lipsius aliique intellexerunt, sed remansit aliud scripturae vitium, sed haec vetusta dent recordari. quod distinxi sed haec vetusta in mentem revocat Eumenii verba in Gratiarum actione capite 4, dicit aliquis 'vetera illa'. sunt, et quidem hoc sacratiora quod vetera. quae vulgo falsa interpunctione obscurata sunt.*

CLXXIV. Pacatus in Panegyrico cap. 26 *hic aurum matronarum manibus extractum, illic raptae pupillorum cervicibus bullae, istic dominorum cruore perfusum adpendebatur argentum.* non extrahuntur manibus anuli, sed detrahuntur digitis. scribendum est *auribus*, unde *manibus* facili post *m* litteram errore factum est. sensit vitium scripturae Acidalius, sed dissimilis sui ad inania aberravit.

Eiusdem Panegyrici cap. 45 haec leguntur, *scimus quidem nihil unquam novandum cum Romanum semper imperium aut tuum futurum sit aut tuorum, pertinet tamen ad geminam rei publicae securitatem quod fieri non potest etiam non timeri.* frustra studuerunt explicare *geminam*. scribendum esse censeo *genuinam*.

CLXXV. Caesius Bassus de metris p. 263 Keilii *hoc autem Philicus conscripsit hymnos Cereri et Liberae, tali genere metri quod scilicet est acri salis et arcanae deorum venerationi credidit convenire.* admodum incredibilia docti homines commenti sunt. et tamen facile poterat intellegi in syllabis depravatis et male divisis haec latere, *quod scilicet et sacris aris et arcanae deorum venerationi credidit convenire.*

CLXXVI. In Tertulliani libro ad nationes I cap. 7 scribendum esse videtur *quis, oro, sponsor aut illis tunc aut exinde vobis de fide? fama est. nonne haec est, Fama, malum quo non aliud velocius ullum? cur malum si vera semper, si non mendacio plurimumque ne tum quidem cum vera defert a libidine mendacii cessat, ut falsa veris intexat, adiciens, detrahens, varietate confundens? in si mutavi sit* quod in libro Agobardi legitur.

CLXXVII. Tertullianus de cultu feminarum II cap. 11 *aut inbecillus aliqui ex fratribus visitatur aut sacrificium offertur aut dei sermo administratur. quidvis horum gravitatis et sanctitatis officium est, cui opus non sit habitu extraordinario, et composito et soluto.* non fecit operae pretium Augustus Neander cum scriben-



dum esse coniecit *et soluto, sed composito*. si quid mutandum est, quod haud ausim adfirmare, scripserim *set consueto et solito*.

CLXXVIII. Macrobius Saturnaliorum I 7 29 — *acceptaque sorte cum Latium post errores plurimos appulissent, in lacu Cutiliensi enatam insulam deprehendunt. amplissimus enim caespes, sive ille continens limus seu paludis fuit coacta compage virgultis et arboribus in silvae licentiam comptus, iactantibus per omnem fluctibus vagabatur, ut iam fides ex hoc etiam Delo facta sit, quae celsa montibus, vasta campis, tamen per maria migrabat. inepte dicitur in silvae licentiam comptus: neque enim cogitandum est de antiqua illa comendi significatione quam Lachmannus in commentario Lucretiano p. 135 explicavit. itaque videtur mihi Macrobius scripsisse in silvae decentiam comptus. non ignoro hoc vocabulum non inveniri nisi apud Ciceronem de deorum natura II 145, colorum etiam et figurarum venustatem atque ordinem et, ut ita dicam, decentiam oculi iudicant. excipit haec Nonius p. 203 propter rariorem, ut videtur, vocem, et potest eam Cicero finxisse ut accurate exprimeret Graecorum εὐπρέπειαν. sed eo mihi non videtur elevari coniecturae quam protuli probabilitas. vitium indecentiae dixit Vitruvius VII 5 6. postea per amnem habet liber Parisinus, sed ut prius per omnem fuisse videatur; in Bambergensi est per omnem, sed adscriptum & am. miror fuisse qui per amnem dici hic potuisse sibi persuaderent, per omnem autem tam non perspicue dictum est ut probandum esse videatur quod Cantabrigiensis liber praebet per omnem lacum.*

Libro II 3 6 adfertur a Macrobio quod Cicero dixit λογοθεώρητος est Caninius consul. adnotavit Ianus Plutarchum aliquotiens dixisse λόγω θεωρητά. poterant ipsius compositi vocabuli exempla adscribi. Caelius Aurelianus Tardarum passionum V 10 105 alii aiunt vias esse latentes, quas λογοθεωρήτους appellant. idem Celerum passionum II 16 98 et tussita itidem sputa per pulmonem feruntur, siquidem in ipsum veniant ex vicinis, accepta per vias mente sensas, quas λογοθεωρήτους appellant. hinc fortasse petenda est emendatio eorum quae Tardarum III 2 19 leguntur, sin vero occulta fuerit solutio, quam Graeci ἄδηλον appellant, aut immensa signa videantur, quae Graeci λογοθεώρητα vocaverunt, sequitur debilitas pulsus aegrotantis etc. latere enim videtur aut mente sensa. commemoravi haec propterea quoniam minime locuples est Thesaurus Stephani t. V p. 360.

Idem Macrobius II 7 9 de Pylade pantomimo *idem cum propter populi seditionem pro contentione inter se Hylamque habita concitatam indignationem excepisset Augusti, respondit καὶ ἀχαριστεῖς, βασιλεῦ. ἔασον αὐτοὺς περὶ ἡμᾶς ἀσχολεῖσθαι.* non videtur explicari posse καὶ a quo Pyladae verba incipiunt. quare dixisse eum puto καὶ ἀχαριστεῖς, βασιλεῦ. etsi enim simplex καὶ extra responsionem positum nullo satis simili cuiusquam scriptoris exemplo confirmare possum, vulgus tamen ita locutum est pariter atque καίχι usurpavit. de quo alias dicam, si opus fuerit.

CLXXIX. Arellii Fusci verba apud Senecam Suasoriarum II p. 12 Kiessl. ita restituenda esse censeo, *licet totum classe orientem trahat, licet intuentibus explicet inutilem numerum, hoc mare, quod tantum ex vasto patet, urgetur in minimum, insidiosis excipitur angustiis vixque minimo aditus navigio est et huius quoque remigium arcent inquieto amne quod circumfluit mare, fallentia cursus vada altioribus internata, aspera scopulorum, et cetera quae navigantium vota decipiunt.* libri arceta inquieta omne et scopulos. fluctum maris amnem dicere potuit Arellius: sed nihil inde praesidii petendum est inepto illi apud Macrobius *per amnem* de quo antea dixi.

CLXXX. Symmachus Ep. II 77 *Pars hominum alii compendiis et quaestibus gaudent, me votiva delectat expensio.* ut iusta nascatur oratio aliis ante alii inserendum est.

CLXXXI. Minucius Felix cap. 16 *ut qui rectam viam nescit, ubi, ut fit, in plures una diffunditur, quia viam nescit haeret anxius nec singulas audet eligere nec universas probare, sic cui non est veri stabile iudicium, prout infida suspicio spargitur, ita eius dubia opinio dissipatur.* sane non videtur Minucius scribere potuisse *quia viam nescit*: nihil tamen neque reseco neque, ut factum est, maiore conatu tempto, sed scribo *quia veram nescit*. id ut adderetur non erat opus, additum non reprehendemus.

CLXXXII. Firmicus de errore profanarum religionum cap. 3 p. 79 Halmii *mortem ipsius dicunt quod semina collecta conduntur, vitam rursus quod iacta semina annuis vicibus reconduntur.* aberraverit librarius ad *conduntur* quod modo scripserat: vel sic tamen quod restituendum esse censeo *refunduntur* veri est similis quam quae alii excogitarunt.

CLXXXIII. In Carmine de figuris v. 122 scribendum esse *miki* videtur

*'verum Academicus est.' esto: tamen omnia nulli  
in dubium revocant, at quaedam, et pleraque, si vis.*

scriptum est *academia*.

Exordium carminis Messium adloquitur. propter studiorum quandam similitudinem non inepte opinabimur intellegendum esse Arusianum, qui quo tempore Exempla elocutionum composuerit Hermae t. III p. 223 indicavi.

CLXXXIV. Valerius Maximus VIII 9 2 *quibus digressis P. Annius (is enim solus in ambitu expers Antonianae eloquentiae steterat) crudele imperium truculento ministerio peregit. ineptum esse in ambitu* Madvigius Adv. t. II p. 332 intellexit, emendatio ei non successit. scribendum est *in aditu*. Plutarchus in Mario cap. 44 *ὡς οὖν ἦχον ἐπὶ τὴν οὐλίαν, ὃ μὲν Ἄννιος ὑπέστη παρὰ τὰς θύρας* etc.

CLXXXV. Suetonius Rhetorum capite 1 *nam et dicta praeclare per omnes figuras per casus et apologos aliter atque aliter exponere et narrationes cum breviter ac presse, tum latius et uberius explicare consueverant. vidit* Madvigius Adv. t. II p. 582 *per casus* ineptum esse, latere autem infinitivum verbi. sed ne *percurrere* quidem quod adfert aptissimum est. scribendum potius est *versare*. Quintilianus v 14 32 *non mille figuris variet ac verset?* XI 3 176 *intra se quisque vel hoc vel aliud quod volet per omnes adfectus verset.*

CLXXXVI. Diomedes p. 489 K. *tertia aetas fuit Menandri Diphili et Philemonis, qui omnem acerbitatem comoediae mitigarunt atque argumenta multiplicia Graecis erroribus secuti sunt. neque Graecis erroribus ullo modo intellegi potest neque sane magis adprobari quod Reifferscheidius in Suetonii Reliquiis p. 9 scripsit ἡθεσιν et erroribus, id quod p. 377 defendere laboravit. scribendum est gratis leporibus.*

CLXXXVII. Pompeius p. 108 K. *Varro docet in aliis libris quos ad Attium scripsit litteras XVI fuisse, postea tamen crevisse et factas esse XXIII, tamen primae quae inventae sunt fuerunt XI, postea quae inventae sunt fuerunt XVI, postea autem XXIII. verba illa quae inventae sunt ubi iterum leguntur non mutanda sunt, nedum inepte, sed delenda.*

CLXXXVIII. Emporius p. 568 Halmii de Iulio Caesare *laudabitur idem ab institutione, quam plurimam in facundia et dicendi studio fuisse probet et prima pubertatis gloria et forensis praestantia consecuta. ita emendo quod traditum est et prima paupertas et*

*gloria.* pubertatis vocabulam latere vidit Halmius, ipsam Emporii orationem non adsecutus est, ut mihi quidem videtur.

Idem Emporius p. 570 *itaque sicut in Hercule, in Catone, potest pueritia laudari, in qua virtutum suarum documenta ualuerunt.* scribendum est *statuerunt* neque quicquam temptandum amplius.

CLXXXIX. Scholion in Iuuenalis satirae 11 v. 187 *solent enim aures et vultus sub ora eis rubere. nihil aliud recondit sub ora eis quam stupratis.*

CXC. In Iulii Obsequentis capite 57 p. 132 Iahnii scribendum esse conicio *L. Scipione C. Norbano coss. per Syllana tempora inter Capuam et Vulturnum ingens signorum sonus armorumque cum horrendo clamore auditus, ita ut viderentur duae acies concurrere per plures dies. aream miraculi intus considerantibus vestigia equorum hominumque et recenter protritae herbae et virgulta visa: molem ingentis belli portendere. legitur rei miraculo.*

Capite 69 p. 137 scribendum esse censeo *signa legionis quae relicta a Pansa ad urbis praesidium erat veluti longo situ inductis araneis vestiri visa. legitur venire.*

CXCI. Eclogae Calpurnii primae versus 87 et 88 Gronovius Observationum III 18 partim egregie correxit, partim erravit cum elisionem vocalis a Calpurnii arte alienam admisit. scribendum est  
*scilicet ipse deus Romanae pondera molis  
 fortibus excipiet sic inconcussa lacertis  
 ut neque translati sonitu fragor intonet orbis  
 nec prius emeriti defunctos Roma parentis  
 sentiat occasus nisi cum suspexerit ortus.*

in libris *respexerit* scriptum est. *nisi* post *nec prius* similiter dictum est atque Graeci non numquam *εἰ μή* vel *ἤν μή* post *οὐ πρότερον* posuerunt, cuius locutionis exempla praebet Thesaurus Stephani t. VI p. 2063. addo *οὐ πρόσθεν* — *εἰ μή* dixisse Themistium p. 73 Dind. Latine qui ita locutus sit unum adnotavi Iuvenum III 336, *nec prius e prono vultus sustollere casu Audebant, sancto Christi nisi dextera tactu Demulcens blandis firmasset pectora verbis.* praebuerunt *nisi* Arevali libri, *quam* Aldus intulisse videtur. neque vero multum laborabimus in conquirendis exemplis orationis quae facillime potest explicari.

CXCII. Xenophon de vectigalibus 5 2 *εἰ δέ τινες οὕτω γιγνώσκουσιν ὡς ἐὰν ἡ πόλις εἰρήνην ἄγουσα διατελῆ ἀδυνατωτέρα τε καὶ ἀδοξότερα καὶ ἥττον ὀνομασθῆ ἐν τῇ Ἑλλάδι*

ἔσται, καὶ οὗτοι γε ὡς ἐμῇ δόξῃ παραγγέμω σκοποῦσιν. iure haec Ludovicus Dindorfius graviter dixit esse corrupta. ac primum quidem iam Schneiderus recte negavit Graecum esse ὡς ἐμῇ δόξῃ. coniecerunt Castalio ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, Zeunius ὡς ἐμῇ δόξῃ. deinde παραγγέμω scriptum librorum unus habet, ceteri παρ' ἀγγέλλω. Camerario scribendum esse videbatur παρὰ μέλος, vereor ne non possit dici παρὰ μέλος σκοπεῖν. Castalionis παρὰ τρόπον prorsus incredibile est. Leonclavii παραλόγως Schneiderus iure dixit non valde probabile esse. addidit Dindorfius non habere alibi Xenophontem παραλόγως. accedit quod illa aetate παράλογα non dicta esse videntur sanae rationi repugnantia, sed tantum ea quae praeter opinionem accidunt. equidem paene non dubito scribendum esse καὶ οὗτοι γε παρὰ γ' ἐμοὶ <παρα>σκοποῦσιν. adscriptum enim esse videtur ὡς (id est ὡσπερ) ἐμῇ δόξῃ ut explicaretur locutio minus trita, quae tamen Graeca est. Herodotus I 32 οὗτος παρ' ἐμοὶ τὸ ὄνομα τοῦτο, ὃ βασιλεῦ, δίκαιός ἐστι φέρεσθαι III 160 Ζωπύρου δὲ οὐδεὶς ἀγαθοεργίην Περσέων ἱπερεβάλετο παρὰ Δαρείῳ κριτῇ. Euripides Bacch. 400 μαινομένων οἶδε τρόποι καὶ κακοβούλων παρ' ἐμοίγε φωτῶν. Heracl. 881 παρ' ἡμῖν μὲν γὰρ οὐ σοφὸν τόδε, Ἐχθρὸς λαβόντα μὴ ἀποτίσασθαι δίκην. ibidem v. 369 ποῦ τοῦτο καλῶς ἂν εἴη παρὰ γ' εὖ φρονοῦσιν; alterum παρα facile omitti potuit. παρασκοπεῖν paullo aliter dixit Aeschylus Ag. 1211 Herm., ἧ κάρτ' ἄρ' αὖ παρεσκόπεις χρησμῶν ἐμῶν. sed similia sunt neque minus solitaria apud Xenophontem παραγνώναι Mem. I 1 17 et παρανενομικένας Hell. II 3 36: adsentior enim Cobeto in Novis lectionibus p. 684 παρανενομηκένας ita corrigenti et recte de eiusmodi locutionibus iudicanti.

CXCIII. Stobaeus Anth. LXXII 5 sex habet versus Hipponacti tributos, cuius esse non possunt,

γάμος κράτιστός ἐστιν ἀνδρὶ σώφροσι  
 τρόπον γυναικὸς χρηστὸν ἔνδον λαμβάνειν·  
 αὕτη γὰρ ἡ προῖξ οἰκίαν σφίξει μόνη.  
 ὅστις δὲ τρυφερῶς τὴν γυναῖκα ἄγει λαβῶν  
 συνεργὸν οὗτος ἀντὶ δεσποίνης ἔχει,  
 εὖνον, βεβαίαν εἰς ἅπαντα τὸν βίον.

versu quarto Bergkii in Poetis lyricis p. 772 τρυφερὰν scripsit et post eum versum alios excidisse significavit. et excidisse aliquot versus satis videtur esse manifestum, sed simul adparet τρυφερῶς

non temere mutandum esse: potest enim in eis quae omissa sunt ζῶσαν fuisse vel simile aliquid. versus alterum aliter atque adhuc temptatum est corrigendum esse censeo. nimirum ἔνδον mihi videtur mutandum esse in ἔδνον. tribuendos esse hos versus Hippothoonti Meinekius Comitorum t. iv p. 714 probabiliter coniecit. quae adscripto Hippothoontis nomine apud Stobaeum leguntur Nauckius in tragicorum reliquiis conlocavit. atqui tragicum poetam fuisse Hippothoontem plane nullo testimonio constat: immo non fuit si illos versus fecit et recte scripsi ἔδνον λαμβάνειν. potest autem fuisse didacticus. ἔδνα dotem praeter alios Euripides dixit in Andromacha v. 873, οὐ γάρ τί σ' αἰχμάλωτον ἐκ Τροίας ἔχει, Ἄλλ' ἀνδρὸς ἐσθλοῦ παῖδα σὺν πολλοῖς λαβὼν Ἐδνοισι, πόλεως τ' οὐ μέσως εὐδαίμονος. Onomasticon dos ἔδνον.

CXCIV. Nicostratus apud Stobaeum lxxiv 62 t. iii p. 67 Mein. ὅστις μὲν ἐργάζεται καὶ ἀπὸ τῶν ὤμων ἀποζῆ, οὐδὲ ποθεῖ θεραπείας ἰκανὰ αὐτῷ καὶ τῇ γυναικὶ ἐργαζόμενος, οὗτος εἰ σφόδρα γυναικὸς ἐπιθυμεῖ, ἀγαθῇ τύχῃ γαμεῖτω. non credo quod Meinekius p. xv credidit, ὤμων ita servari posse ut baiulum intellegamus, praesertim cum baiulus non videatur recte dici ἐργάζεσθαι. Gesneri πόνον Nauckiique ὀλίγων probabilitate carent. scribendum est ὠνῶν, intellegendus autem opifex qui operum quae vendit pretiis vitam tolerat.

CXCV. In eis quae Stobaeus lxxix 38 ex Aeliani Varia historia adfert homines doctos, etiam Hercherum Aeliani t. ii p. 189, necessaria et certa emendatio fugit. neque enim Aelianus scripsit Φιλόνομος καὶ Καλλίας, sed Ἀμφίνομος καὶ Ἀναπίας. nam quod dixit τοὺς ἐαυτῶν πατέρας ῥάμενοι, non putandus est aliam quam communem famam secutus esse, sed πατέρας est parentes.

CXCVI. Teles Stobaei v 67 t. i p. 125 M. γέρων γέγονας: μὴ ζῆτει τὰ τοῦ νέου. ἀσθενὴς πάλιν· μὴ ζῆτει τὰ τοῦ ἰσχυροῦ, φορτία βασιτάζειν καὶ διατραχηλίζεσθαι, ἀλλ' ὥσπερ Διογένης ἐπεὶ τις ὤθει καὶ ἐτραχήλιζεν ἀσθενῶς ἔχοντα, οὐ διετραχηλίζετο, ἀλλὰ δείξας αὐτῷ τὸν κίονα "βέλτιστε" ἔφη, "τοῦτον ὤθει πρὸς τὰδε". videtur mihi Meinekius neque p. xv neque t. iv p. lv recte iudicasse. non enim opus est ut ὅς addatur post Διογένης, neque magis ut in fine aliquid excidisse statuamus, et multo etiam minus credendum est κίονα hominis nomen recondere. neglegentius loquitur Teles, sed ut facile tamen

intellegatur hoc eum velle, *fac ut Diogenes*. at non potest intellegi πρὸς τὰδε, neque hoc scriptum est in libro Bruxellensi, sed προστάς. itaque scribendum est τοῦτον ὄθει προστάς. verbum videtur esse palaestrae: Plato in Philebo p. 41<sup>b</sup> προσιστώμεθα δὴ καθάπερ ἀθληταὶ πρὸς τοῦτον αὖ τὸν λόγον. monstravit autem Diogenes τὸν κίονα, id est tibicinem qui tectum fulciebat. pertinent huc quae Lobeckius habet Aiacis p. 100 (121). secuntur haec, ἄπορος πάλιν γέγονας· μὴ ζήτει τὴν τοῦ εὐπόρου διαίταν, ἀλλ' ὡς πρὸς τὸν ἀέρα φράττη (εὐδία, διεστείλω, ψῦχος, συνεστείλω) οὕτω καὶ πρὸς τὰ ὑπάρχοντα δι' εὐπορίαν διάστειλον, ἀπορίαν καὶ σύστειλον. recte Meinekius καὶ quod libri inter εὐδία et διεστείλω habent delendum esse censuit. quo magis miror eum proximorum emendationem non adsecutum esse. continuata enim eadem orationis forma scribendum est οὕτω καὶ πρὸς τὰ ὑπάρχοντα· εὐπορία, διάστειλον, ἀπορία, σύστειλον.

CXCVII. Plutarchus Stobaei vi 46 ἅπαντα δὲ κακία ὄρασθαι γυμνῇ φυλάττεται, σκέπην προβαλλομένη τὰ πάθη. ἀποκόψαντες οὖν αὐτὰ γυμνὰς βλέπωμεν τὰς ἡδονάς· μεθύουσι εἰς ἀναισθησίαν, λαγνεύουσι εἰς αἰῶνα, καθεύδουσι εἰς ἔργα, οὐκ ἐπιστρέφονται πόλεων, οὐ φροντίζουσι γονέων, οὐκ αἰσχύνονται νόμους. probabiliter Duebnerus ἔργα in ἀργίαν mutavit. minus probabiliter Iacobsius αἰῶνα in μωρίαν. Meinekio t. iv p. LVII propius ab αἰῶνα afuturum videbatur ἀτονίαν. minus etiam distabit ἄνοιαν.

CXCVIII. Hippodamus Stobaei XLIII t. II p. 102 M. τοιοῦτοι δὲ λόγοι τυγχάνοντι οἱ φάντες (ita Meinekius t. iv p. LXV) ἥτοι μὴ εἶμεν τὸ θεῖον ἢ καὶ ἐὼν μὴ ἔχεν οὕτως ποτὶ τὸ (f. ποτὶ) τῶν ἀνθρώπων γένος ὥστ' ἐπιβλέπεν αὐτὸ καὶ φροντίζεν, ἀλλ' ἔἴη καὶ κατολιγωρῆν. καὶ γὰρ ἅ τοιαῦτα παραδοχὰ τοῖς ἀνθρώποις ἀφροσύναν καὶ ἀδικίαν ἐντίκτει (ἔσαν) οὐδ' εἶπεν εὐμαρές ἐντι. πᾶς γὰρ ἄνθρωπος ἀναρχίας πλαρωθεὶς καὶ τὸν ὑποπτον ἀπωσάμενος φόβον σκιρτᾷ τε καὶ παρνομεῖ παντοδαπὸς γινόμενος. scribendum est fortasse καὶ τὸν ἐποπτῶν ἀπωσάμενος φόβον.

CXCIX. Nicostratus Stobaei LXX 12 κρεῖττον ἄρα ἦν ἀνδρικόν τι γύναιον καὶ κατ' ἀγροῦς τε θραμμένον ἀναζητεῖν καὶ πολυπραγμοεῖν, ἱκανὸν μὲν πονεῖν ὁπότε ὕδωρ ἀνιμῶν δέοι καὶ πῖρ ἐναῦσαι ἦν τούτου καιρός, οὐκ ἀνελεύθερον δὲ οὐδὲ ἀρρητοποιόν, χρηστόν γε μὴν καὶ ἀράξαι ποτὲ μύλην καὶ

ἐπαφήσας αὐτῆς διδοῦσαν ὡσπερ ἐπὶ λύρας. Wyttenbachius in Plutarchi Mor. p. 46<sup>d</sup> ἐπαφήσας in ἐπαφήσεις mutandum esse coniecit, quod explicat interpretatione mihi incredibili. aliter visum est Meinekio, qui recte dicit, si verum sit ἐπαφήσεις, praeterea αὐτῆς et ὡσπερὲν λύρας requiri. mihi Nicostratus scripsisse videtur χρηστὸν γε μὴν καὶ ἀράξαι ποτὲ μύλην καὶ ἐπαφήσασθαι αὐτῆς ἕδουσα ὡσπερὲν λύρας. Agathias Anth. Pal. v 222 *Ἐὶ ποτε μὲν κιθάρης ἐπαφήσατο πλῆκτρον ἐλοῦσα Κούρη, Τερψιχόρης ἀντεμέλιζε μίτοις.* femininum ἕδουσα dictum est πρὸς τὸ σημαίνον. de cantilenis molas versantium non repetam quae omnibus nota sunt, sed adscribam minus fortasse nota neque insuavia verba Ambrosii in Hexaemero v 24, *habet etiam nox carmina sua quibus vigiliis hominum mulcere consuevit, habet et noctua suos cantus. quid autem de lusciniā dicam? quae pervigil custos cum ova quodam sinu corporis et gremio fovet, insomnem longae noctis laborem cantilenae suavitate solatur, ut mihi videatur haec summa eius esse intentio quo possit non minus dulcibus modulis quam motu corporis animare ova quae foveat. hanc imitata tenuis illa mulier sed pudica incussum molae lapidem brachio trahens, ut possit alimentum panis suis parvulis non deesse, nocturno cantu maestum paupertatis mulcet affectum, et quamvis suavitatem lusciniāe non possit imitari, imitatur tamen eam sedulitate pietatis.*

CC. Pseudoxenophon Ioannis Damasceni xiii 128 p. 225 M. *τροφή μὲν οὖν ἔστω σώματος ἥπερ ἐν Λάκωσι, ψυχῆς δὲ νέας καὶ ἀρτιφροῦς λόγοι ᾧδὰς ἔχοντες ἀνδρῶν ἐπ' ἀρετῇ τὸν βίον διενηροχότων, παιδιαὶ δὲ ἢ μῦθοι γραῶν ἐμβάλλοντες φρόνημα ταπεινὸν ἀπίτωσαν· τὸ δὲ πλεον ἔστω ἐν ἀνδράσι σώφροσιν, ἐνθα ὅμοια ὄψεται ἴσα τε ἀκούσεται.* pleraque Meinekios bene administravit: veluti egregium est quod Λάκωσι fecit ex λάκκῳ et γραῶν ex γράφων. sed cum ᾧδὰς scripsit ubi in libro Florentino ὀδὰς est, fugit eum ratio: effecit enim sententiam aut nullam aut ineptam. quod pace dictum sit etiam Hercheri, qui in Epistolographis p. 791 ᾧδὰς admisit, fessus, puto, opere longo et molesto, non quod iudicio illud adprobabat. equidem scripserim λόγοι ἄλας ἔχοντες. quod tritum erat Latinis ut sales dicerent lepores raro factum esse videtur a Graecis: sed certa eius usus exempla praebet Plutarchi Comparatio Aristophanis et Menandri p. 854<sup>c</sup>.



Hermae t. iv p. 159 dixi de sententia quadam quae in sermonum Augustino tributorum atque ab Angelo Maio editorum nonagesimo quarto Catoni adscribitur ostendique eandem sententiam proferri ab Aegidio Maserio in commentariis quibus Valerii Flacci Argonautica oneravit. qui unde eam sumpserit frustra studueram indagare: nam legisse eum ineditum sermonem non videbatur esse probabile. fugerant me quae leguntur in futili Hieronymoque olim ridicule attributo libello quo Valerius Rufino dissuadet ne uxorem ducat, Hieronymi Vallarsiani t. xi p. 244 C.

M. HAUPT.

---